



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Præfatio

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)



HIERONYMI DANDINI Cæsenatis, è Societate Iesu.

DE PARTIBVS HETEROGENEIS.

LIBER QVARTVS.

P R A E F A T I O.

Simplicium & homogearum partium omnem iam videor compositionem, vim, naturam, & vsum superiori libro comprehendisse; omniumque illarum descriptio facta est. Nunc ad compositarum atque heterogearum, quæ ex illis coagmentantur, inspectionem progrediendum est: corpusque vniuersum perlustrandum, animæ domicilium & instrumentum futurum. Ad quod spectandum eos tantum accerso aut etiam admitto, qui in superioribus libris fuerint non mediocriter exercitati.

Humani corporis substantia.

Humani corporis, inquam, descriptio generalis faciendæ est: quod velut Polycleti statua illa partium omnium summa proportione constans aliorum omnium canon vt in prim. etiam libro diximus existimari debet. Vt enim homo animal est mente & ratione, hoc est diuinissima & principe forma præditum, quæ vniuersas cæterorum animantium vires continet: ita & optimum atque instructissimum corpus præclaræque conditione quadam genitum à supremo obtinuit Deo membrorumque omnium conformatione pulcherrimum. Inter cætera præ animalium cunctorum corporibus habet quatuor. Primum celsum est & erectum, quasi in cælum sese attollens: Prona cum spectent animalia cætera terram. Ortus enim est homo, vt omnibus dominaretur, atque ad mundum contemplandum & mirandum: vtque Dei cognitionem cælum intuens capere posset, & suum conditorem agnoscens hymnos illi diuinos decantaret. Deinde optimam habet totius corporis temperationem & calorem plurimum. Vnde & optimus corporis habitus & perfectissima operationes consequuntur. Tum verò amplissimum, capacissimisque sinibus ac partibus omnibus accuratissimè distinctum cerebrum: quod etsi propria animæ sedes non sit, inter præcipua tamen continetur membra, indeque sensus omnis ac motus propter neruos & animalem spiritum pendent plurimum: ex sensu au-

tem mens & ratio. Postremò artus omnes maiori multo artificio distinctos & conformatos. Ac manus præsertim & digitos ad ea omnia exequenda, quæcunque mens iusserit. Cætera ferè cum bestiis communia aut non magno opere diuersa. Quare qui de humano corpore dicit, de omnibus quodam modo dicit omniæque ob oculos ponit.

Sed illud primum intelligere oportet; non posse cuncta in cadauere vnico satis spectari. Quoniam plurimis in locis ita sunt partes inter se simplicitæ & permixtæ, vt nisi aliis amputatis aut disruptis ea, quæ queritur, videri non possit. Plura igitur sunt inspicienda cadauera. Et in vnoquidem interiora primum viscera: deinde musculi ac tendones: tum illis etiam subdita ossa consideranda: in altero venæ in tertio arteriæ: in quarto nerui. Cutis autem, membranæ, cartilagine, vincula, in omnibus dispiciuntur.

Plura corpora dissecanda.

Ego, vnica descriptione ostensurus hæc omnia, totius primum corporis partitionem faciam: deinde de partibus singulis eo dicam ordine, quo ferè corpora dissecare oportebit. Vt ita explicatio tota certa ratione ac methodo progrediatur.

TOTIVS CORPORIS partitio.

CAPVT I.

Vniuersum igitur hominis corpus quatuor in partes tribuitur; in caput, thoracem, ventrem, & artus, quibus brachia & manus, crura & pedes continentur. Caput, thoracem, & ventrem plerique triplicem ventrem appellant; superiorem, medium, & inferiorem. Etsi Hippocrates & Galenus in Aphor. 38. lib. 7. superiorem ventrem thoracem dixerint. Ex quo eos intelligas caput non appellasse ventrem, quòd cauitatem non habeat, qua solidum corpus aut pars aliqua alia contineatur. Quòd si appella-